

gnitus erat: omnes enim ad eisdem libri lectionem obstupere: ergo Pentateuchus tempore *Iosiae* regis omnino perierat, unico excepto exemplari tunc reperto, quod tamen facile corrumpi potuit. R. Conc. ant. nego cons. Ex toto hoc facto nil aliud colligitur, nisi quod probabilius tunc ipsum *authographum* Pentateuchi, vel saltem Deuteronomii repertum fuerit in templo ad latas arcae, ubi a *Moyse* positum fuerat; considerato enim textu sacro, intelligimus, regem non tam libri inventionem, quam aspectu tam venerandi thesauri, et verbis legis minas intentantis commotum esse. Hinc rex eo reperto non dixit: *Magna ira Domini succensa est contra nos*, quia non noverunt, sed: *quia non audierunt patres nostri verba libri huius*. Et sane certissimum est, legem *Moyse* omni aetate usque ad *Iosiam* regem integram fuisse conservatam. Erat enim ea, ut supra iam observavimus, summe connexa cum iudaeorum republica, ita, ut lex *Moyse* everti aut corrumpi non potuerit, quin et ipsa iudaeorum respublica rueret: quod tamen usque ad *Iosiam* non esse factum, ex historia sacra scimus.

OPPON. II. L. 4 *Esdrae* c. 14, v. 21 et seqq. dicitur, omnes libros legis combustos fuisse, et ab *Esdra* per 40 dies et noctes quinque scribis iterum dictatos: ergo Pentateuchus *Moyse* aliquando penitus interiiit. R. Conc. ant. neg. cons. et suppositum, quod liber 4 *Esdrae* sit canonicus aut auctoritatis divinae. Continet enim plures fabulas (1). Dein quando in l. 4 *Esdrae* loc. cit. dicitur, quod lex *incensa sit*: id in-

(1) Vide dissertat. *Calmeli* commentar. LL. *Esdrae* praefixam.

(2) IV. Reg. c. 25, v. 9.

(3) Tob. c. 1, v. 2; item IV. Reg. c. 17, v. 27, 28.

telligi nequit de omnibus exemplaribus Pentateuchi in toto orbe extantibus, sed duntaxat de iis quae, capta a *Nabuchodonosore* Hierosolyma, una cum templo exusta fuerunt (2). Eo enim tempore decem tribus Israelis iam diu gemebant oppressae captivitate assyriorum, utpote ante 130 et amplius annos in eam abstractae, in quibus multi erant pii israelitae, e. g. *Tobias*, aliique (3), qui haud dubie libros sacros secum tulerunt. Praeterea undecim annis ante illam Hierosolymae eversionem *Ezechiel*, *Daniel*, et alii plures Deum timentes in Babylonem cum rege *Ioakim* asportati fuerant (4), qui sine dubio libros illos pariter secum tulerunt. Denique, ut libri sacri omnes regni Iudae in illo hierosolymitano incendio periissent, ii omnes ex toto regno Iudae (quod tamen nullibi legitur, factum esse) debuissent in templum prius transferri, aut ibi fuisse repositi.

OPPON. III. Satellites *Antiochi Epiphani* (5) libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, et apud quemcunque inveniebantur libri testamenti Domini trucidabant eos: ergo Pentateuchus cum aliis libris veteris testamenti tunc interierunt. R. Conc. ant. neg. cons. Nam haud verisimile est, omnia legis exemplaria ab *Antiocho* fuisse inventa, nulla per totam Iudaeam loco securo abscondita, nulla in exteris bibliothecis, ne quidem versionem LXX interpretum praesertim *Alexandriae* extra ditionem *Antiochi* residua fuisse, nulla denique in manibus iudaeorum, aut israelitarum, qui apud exterarum gentes morabantur, haesisset. Certe post furorem *Antiochi* expenderunt iudaei in Ma-

(4) Ezech. c. 1, v. 1, 2, et c. 40, v. 1; item Esth. c. 2, v. 6.

(5) I. Machab. c. 1, v. 59, 60.

spha congregati libros legis (1), et *Ionathas* ac universus iudaeorum populus in epistola ad spartiatas (2) scribunt, solatio sibi fuisse libros sacros.

OPPON. IV. Multi ex ss. patribus iudaeos incusant, quasi sacrorum codicum corruptores: ergo nec Pentateuchus, nec alii libri veteris testamenti hodie integri et incorrupti extant. R. Dist. ant. Incusant iudaeos tanquam corruptores sacrorum librorum stante etiamnum synagoga. Neg. ant. tanquam corruptores, nimirum ex odio in Christum et christianorum legem, synagoga et republica iudaeorum post mortem Christi dissoluta, trans. ant. et neg. cons. Plura in confirmationem huius nostrae responsionis card. *Gotti* (3), et *Natal. Alexander* (4) disserunt. Ceterum, etiamsi transmittatur, vetus testamentum a iudaeis

dicto modo in quibusdam textibus corruptum esse, id incredulis nihil patrocinator, quia iudaei non omnia exemplaria, quorum innumera tunc iam erant in christianorum aut aliarum gentium manibus, corrumpere, adeoque nec impedire poterant, quominus Pentateuchus, aliique V. T. libri integri ad nos pervenirent. Accedit, quod patres in obiectione memorati vel non loquantur de corruptione ipsius *fontis hebraei*, sed de *Aquila*, *Theodotione* et *Symmacho* iudaeis apostatis, qui fontem suis graecis versionibus corruerunt, vel loquantur solum de ineptis sanctae Scripturae expositionibus iudaicis, non vero de verborum et literarum s. textus corruptione, vel iudaeos reprehendant de corruptione *quorundam duntaxat exemplarium* non omnium etc. (5).

SECTIO II.

DE QUINQUE LIBRIS PENTATEUCHI SPECIATIM SUMTIS

CAPUT I.

De libro Genesis.

Primus Pentateuchi liber hebraice בראשית *Beresith*, seu in principio nuncupatur, nomine indito ab ipso libri initio, quemadmodum ceteris quoque libris mosaicis contingit: graece vero Γενεσις, id est origo dicitur, eoquod originem seu creationem mundi, ac praesertim hominis enarret. Nam a cap. 1 usque ad caput 7 mundi hominisque originem, primorum parentum lapsum et poenam, propagationem hominum eorumque multiplicia scelera exhibet: a cap. 7 usque ad cap. 12 fa-

(1) Ibid. c. 5, v. 48.

(2) Ibid. c. 12, v. 9.

(3) Tom. 1 verit. relig. christ. demonstr. 5, c. 8, n. 6, 7, 15, 16 et 17.

bricationem arcae, diluvium, confusionem linguarum babelicam, ac genealogiam filiorum *Noe*, a quibus gentes post diluvium ortae sunt, recenset: a cap. 12 usque ad cap. 50, seu ultimum, gesta primorum patriarcharum usque ad mortem *Iosephi* commemorat. Unde Genesis annos mundi 2369 complectitur. Totidem enim a creato mundo usque ad mortem patriarchae *Iosephi* fluxere. Porro quo tempore et loco *Moyse* Genesis scripserit, dubium est, inque duas diversas sententias auctores abeunt. Una a *Moyse* scriptam Genesis ait, cum in terra *Madian* opilionem ageret, et *Iethro-*

(4) Tom. 3, secul. 2, diss. 11, q. 1, art. 1, concl. 3.

(5) Consule hac de re card. *Gotti* et *Natalem Alex.* loc. cit.

nis gregem pasceret: altera et communior vult, tam Genesim, quam ceteros Pentateuchi libros post acceptam in monte Sinai legem a Moysse in deserto scriptos esse (1). Expendamus iam praecipuas difficultates, quas increduli contra hunc primum Pentateuchi librum nobis partim obiiciunt, partim ob adparentem antilogiam aut difficultatem obiicere possent.

§. I. De mundi creatione.

19. QUÆRES VIII. *An Genes. 1, v. 1 legendum sit: IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS COELUM ET TERRAM, ut nostra vulgata habet; vel: FECE- RUNT DII COELUM ET TERRAM, ut Voltairius (2) vult?* Ait enim, in hebraeo textu legi ברא אלהים *barà Elohim*, hoc est *fecerunt Dii*, aut *fecit Dii*. Addit, hebraeos vetustam de pluralitate deorum doctrinam a vicino et potente phoenicum populo didicisse, et libro Genesim inseruisse, cum servi, quales respectu phoenicum fuissent hebraei, suorum dominorum sensa sectari soleant. Verum ñ. ineptissimam esse *Voltairii* versionem citati textus crassamque is hoc loco linguae hebraicae ignorantiam suam prodere. Nam nomen plurale *Elohim* cum verbo singulari *barà*, *fecit* coniunctum non multitudinem, sed excellentiam significat. Unde *bara Elohim* est hebraismus, quem pluralem dignitatis vocant, et passim usurpant nominativum pluralem cum verbo singularis numeri coniungentes, nemine hebraeorum propterea plures, e. g. plures deos suspicante. Hinc auctor nostrae vulgatae citatum textum optime vertit hoc modo: *In principio creavit Deus coelum et*

(1) Vide *Bonfrerium*, appendic. ad cap. 7, praeloq. in s. Script. sect. 5.

(2) In suo Lexico philosophico.

terram, et sic eundem verterunt, atque intellexerunt per 17 secula usque ad nostra tempora omnes doctores omnium ecclesiarum tam graeci, quam latini, syri, arabes et aegyptii.

Porro fallit aut fallitur *Voltairius* dum adserit, phoenices fuisse potentem populum, a quibus hebraei tanquam ipsorum servi doctrinam de pluralitate deorum didicissent. Quamvis enim phoenices ob commercium cum aliis populis, et colonias in varias alias regiones deductas inclauerint, numquam tamen erant potens populus, sed angustum terrae tractum ad fines maris mediterranei possidebant, qui quoad magnitudinem cum Palaestina neququam comparandus est. Praeterea liber Genesim scriptus fuit, priusquam hebraei Palaestinam occuparent (3) et antequam cum phoenicibus commercium haberent. Qui ergo hebraei doctrinam de pluralitate deorum (ante librum Genesim a Moysse scriptum) haurire poterant? Denique ubinam *Voltairius* legit, hebraeos fuisse servos phoenicum? Nullus hucusque alius scriptorum (4), vel verbulo de hac servitute mentionem fecit.

20. QUÆRES IX. *Qualis fuerit illa lux primo die creata Genes. 1, v. 3, 5, et an tres dies dari potuerint sine sole, qui primum quarta die factus est?* ñ. Lux primigenia primo die creata, fuit vel ignis, vel aether, vel certe aliquid diversum a sole perfecte formato, quippe qui die quarta primum perfectus est. Dixi: *aliquid diversum a sole perfecte formato*. Duplex enim hac de re interpretum sententia est. *Beda*, *Lyranus*, *Tostatus* etc. defendunt, primam illam

(3) Vide paulo supra praef. in librum Genes.

(4) V. *Nonnotte* in Lex. Phil. art. *Schopfung*.

lucem non fuisse solem, sed corpus quoddam lucidum instar nubis languide lucentis, et instar tremulae aurorae. Auctor vero de divinis nominibus (1), s. *Thomas* (2), *Pereira* (3), *Quadros* (4) dicunt, lucem prima die creatam eandem fuisse cum luce solis, solemque quoad substantiam prima quoque die formatum fuisse, sed eiusdem et lunae, ceterorumque astrorum lucem usque ad quartum diem extitisse informem et imperfectam; quarta autem die eandem fuisse formatam in globum solis, lunae et astrorum quoquoversum perfecte illuminantem; ferme sicut Deus ab initio creavit terram informem, quam paullatim herbis, arboribus ac animalibus ornari voluit (5). Quid iam in hac tota explicatione absurdum, aut impossibile?

21. QUÆRES X. *Quaenam sint illae aquae quae Genes. 1, v. 6 et 7 dicuntur esse super firmamentum, et divisae ab aquis existentibus sub firmamento.* Haec verba Genesim, inquit *Voltairius*, capiunt errorem veterum qui coelos credebant solidissimos, et super eos tanquam super fornacem crystallinum disposita esse putabant hydrophylacia, fenestras et cataractas, quae reserari et claudi possent. Verum inique populares hos errores *Moysi* vel hebraeis affingit impius ille derisor. Nam in textu hebraeo loc. cit. ponitur nomen רקיע *Rakiah*, quod latine significat *expansum* seu *extensum*; quodque aëri maxime convenit, sae-

(1) Cap. 4.

(2) P. 1, q. 67, a. 4, et q. 70, a. 1.

(3) Commentar. in Genes. c. 1.

(4) Tom. 1 Decad. 2, q. 1.

(5) Vide *Apol. de la rel. chrét. c. 10, § 2.*

(6) *Iob. c. 37, v. 18.*

(7) Ceterum: hoc effatum de coelorum soliditate in s. Scriptura duntaxat narratur tanquam dictum ab *Eliu* prolatum.

piusque de coelo in libris divinis dicitur. Quare Genes. 1, v. 7 ubi vulgata nostra dicit: *Et fecit Deus firmamentum*, textus hebraeus ait: *Et fecit Deus expansum*, i. e. extensum spatium. Quomodo autem inde concludes, hoc spatium esse durum et solidum? Equidem vulgata nostra voce *firmamenti* utitur, sed non eo sensu, quasi coelum sit corpus durum et firmitudine sua aliis corporibus resistens, sed quia est opus stabile et per tot saecula perdurans: qua ratione ab *Eliu* (6) coeli poetice appellari poterant *solidissimi quasi aere fusi* (7). Porro per *aquas supra firmamentum* probabilius intelliguntur aquae subtiliores, seu vapores aquei non supra coelum sydereum, sed supra aërem nostrum inferiorem existentes, quae suo tempore de nubibus defluunt ad irrigationem terrae. Sensus igitur illorum verborum Genes. 1, v. 7, *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quae erant sub firmamento*, ab his quae erant super firmamentum, est iste: *Fecit Deus aërem, divisitque aquas quae sub aëris atmosphaera erant ab his quae erant super aërem, seu in parte superiore aëris.* Aquarum enim pars gravior et suo statui relicta infra aërem constitit; subtilior et rarefacta supra eum elata est. Ita citatum Genesim locum exponunt, praeter rabbinos, hebraeorum glossa interlinealis, *Torniellus*, *Pererius*, *Valentia*, *Lorinus*, *Suarez* de opere sex dierum, alique (8). Neque obstat,

cuius tamen sermones a Deo mox improbantur sequenti c. 58, v. 2, his verbis: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?*

(8) Equidem scio, multos insignes interpretes et antiquos patres, ac inter hos ipsum s. *Augustinum*, lib. 2 de Genesi ad literam, c. 5 per *aquas super firmamentum* intellexisse aquas proprie dictas et fluidas super ipsum coelum sydereum positas.

quod alibi, nempe psalm. 148, v. 4 dicatur: *Et aquae quae super coelos sunt*, quasi aquae darentur non tantum super aërem, sed supra omnes coelos. Etenim ita dictum est, ut s. Chrysostomus (1) observat, secundum phrasim linguae hebraicae, in qua nomen *coeli* caret singulari, solumque pluraliter dicitur שמים *sciamaim coeli*, sicut duntaxat in numero plurali latine dicimus *Athenae, Parisii, Venetiae*.

22. QUÆRES XI. *An, et quomodo situs Paradisi Genes. 2, v. 10 et seqq. descriptus cum hodierna geographia conciliari possit?* « Nullus in orbe terrarum locus datur, inquit Cl. Freret (2), ubi Tigris et Euphrates cum duobus aliis fluviis, (prout tamen cit. loc. Genes. narratur) oriuntur. » Et Voltairius (3) hunc Scripturae locum contentim ita traducit: « Secundum hoc caput vulgatae paradisi per tertiam ferme Asiae atque Africae partem se extendebat. *Euphrates* et *Tigris* in origine sua plusquam 60 milliariibus maioribus distant a se invicem. Fluvius *Gehon*, qui circuit omnem terram *Aethiopiae*, non potest esse alius, quam *Nilus*, in origine sua distans ab origine *Euphratis* et

At etiam scio, quod idem s. doctor ibidem c. 4, nostram de his aquis sententiam valde commendat his verbis: *Hanc ergo diligentiam* (sic explicandi aquas super firmamentum) *considerationemque laude dignissimam iudico. Quod enim dixit* (defensor huius explicationis) *neque contra fidem est, et in promptu posito documento credi potest.*

(1) Homil. 4 in Genesin, ubi hic s. Pater ita ait: « Quis igitur post tantam doctrinam ferret eos qui ex suo capite loqui, et contra divinam Scripturam multos coelos dicere audent? Porro dicunt: Ecce beatus David (Ps. 148) laudem Deo offerens, dixit: *Laudate eum coeli coelorum.* Ne turberis dilecte, neque putes s. Scripturam sibi ipsi alicubi adversam... Dicunt igitur qui linguae eius (hebraicae) gnari sunt, *coeli* nomen plurali numero

Tigris plusquam 700 milliariibus. *Phison* vero, siquidem is dicatur esse fluvius *Phasidis*, in Scythia oritur. Res sane mira, quod origo fluminis in Scythia, et origo alterius fluvii *Gehon* in Africa in uno eodemque paradiso sitae sint. — Denique difficile captu est, Adamo hortum 700 aut 800 milliarium assignatum esse, ut illum coleret et custodiret. Verisimiliter socii huius laboris eidem adiuncti sunt. » Hucusque *Voltairius*. Sed R. Nemini mirum videri debet, quod situs terrestri Paradisi in libro Genesim descripti, difficulter a nobis determinari, et haud facile cum hodierna geographia conciliari possit (4). Verisimiliter enim intra lapsum tot saeculorum, quae ab origine mundi hucusque fluxere, nomina fluminum paradisi saltem aliquorum mutata sunt; sicut passim urbium et locorum nomina hodie alia sunt, quam antiquitus fuere. Fors etiam cursus et alvei dictorum fluminum tempore universalis diluvii, et alias mutati sunt, cum haud dubie terrae facies intra decursum tot saeculorum, et maxime tempore diluvii per ingentes terrae motus, quae omnes fontes abyssi magnae

ab hebraeis vocari, quod confitentur, qui et syrorum linguam sciunt. Et nemo ea lingua dicit *coelum* sed *coeli*. Et ideo sic dictum est, quod a beato David dictum, *coeli coelorum*; non quod multi sunt coeli, sed quia mos est linguae hebraicae, unam rem nominare numero plurali. » Hucusque s. Chrysostomus.

(2) V. D. Bergier supra num. 14 in nota (4) citatum, 81 Blatt. Porro de D. no Freret sermo redibit infra n. 26, QUÆRES XV. Nota (4).

(3) In suo philosoph. lexico.

(4) Hinc non mirum, quod variae et diversae de situ paradisi terrestri opinionibus tam antiquorum, quam recentiorum scriptorum dentur, quas plerasque Cartier in dissertatione de situ paradisi, tom. 4 bibliorum a se editorum adnexa recenset.

rupti sunt (1), plurimum immutata fuerit (2). Praeterea, ut quis de situ paradisi solide scribat aut loquatur, veteris geographiae, veterumque linguarum notitia bene instructus sit, oportet: hac autem gemina notitia nec *Vollairius*, nec plerique alii excellunt. Nihilominus non desunt doctissimi quidam viri, qui gemina illa notitia adiuti, terrestri paradisi situm saltem verisimiliter invenerunt, ac omnia, quae *Moyses* de eo scripsit, vera esse deprehenderunt. Sic, si cum Cl. Nonnotte (3) paradisi ad fines australes regionis babylonicae inter 32 et 33 gradum latitudinis ponitur; facile intelliguntur ea, quae sacer textus de paradiso profert. Invenitur ibi tractus terrarum amoenissimus, in quo post diluvium maximi Asiae monarchae sedem suam fixerunt. Ibi erat famosa urbs Babylon apud assyrios, persas, graecos et arabes celebratissima. Invenitur ibi fluvius, qui terrestrem paradisi irrigavit, in 4 capita divisus. Fluvius iste est *Tigris* et *Euphrates*, qui ibidem in unum alveum conuncti per magnum terrae tractum uniti voluntur, donec de novo divisi duo flumina efficiunt, quae *Phison* et *Gehon* dicuntur, et ambo in sinum Persicum sese praecipitant. *Phison* facile dignoscitur ex notis, quibus eum *Moyses* Genes. 2, v. 11 et 12 describit dicens: *Ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum. Et aurum terrae illius optimum est, ibique invenitur bdellium, et lapis onychinus.* Omnes hae notae quadrant occidentali tractui *Euphratis*, qui versus Arabiam cursum suum dirigit, et adhuc hodie *Sciat-el-Arab* seu

(1) Genes. c. 7, v. 11.

(2) V. infra n. 26, R. ad secundum.

(3) In suo Lexico philosoph. verbo: *Irdisches Paradies*.

(4) Lib. 2.

Fluvius Arabum dicitur. *Hevilath* enim iuxta multorum opinionem est *Arabia*, in qua aurum optimum, et bdellion, et onychinus, omnisque generis gemmae praestantissimae reperiuntur, ut *Diodorus Siculus* (4), *Plinius* (5), et *Strabo* (6) testantur. Invenimus hucusque tria paradisi flumina, *Tigrim*, *Euphratem* et *Phison*. Superest, ut quartum seu *Gehon* investigemus, de quo *Moyses* in hebraeo textu ait, quod terram *Chus*, seu ut vulgata nostra habet, *terram Aethiopiae circumeat*. Ubi advertendum est, quod nomen *Aethiopia* non solum *Aethiopiae* proprie dictae, sed pluribus aliis regionibus tam a sancta Scriptura, quam a profanis scriptoribus attribuitur, ut *Calmetus* (7) ostendit. Sic e. g. *Sephora Moysis* uxor (8) *aethiopissa* dicitur, quae ex *Madian* ad mare rubrum oriunda erat. Has inter regiones nomine *Aethiopiae* compellata est etiam regio *Susiana* ad sinum persicum sita, quae hodie *Chusistan* voce a nomine *Chus* derivata dicitur: imo eruditissimus geographus *Marius Niger* testatur, *chusistanos* adhuc regionem suam appellare *terram Chus*. Cum igitur omnes geographi fateantur, regionem *Chusistan* esse *terram Chus* (quam nostra vulgata *Aethiopiam* vertit), et eandem orientali *Euphratis* alveo adiacere, ubi hic fluvius in sinum Persicum sese exonerat, sequitur, fluvium, qui adhuc hodie in regione *Chusistan* reperitur, esse illum ipsum, quem *Moyses* ante ter mille et trecentos annos nomine *Gehon* appellavit. Ecce! invenimus in pulcherrimo climate et amoenissima regione partem terrae, quam fluvius in duo superiora et alia duo

(5) Lib. 12, c. 9.

(6) Lib. 16.

(7) In suo Diction. bibl., verbo: *Aethiopia*.

(8) Num. 12, v. 1.

posteriora capita divisus irrigat. Praeterea vidimus, quod regiones, quas quatuor illa flumina permeant, designatas a *Moyse* notas habeant. Igitur locus et situs paradisi, qualis in l. Genesis describitur, hac ratione *saltem verisimiliter* detegitur (1), ac consequenter s. Scriptura in descriptione paradisi nullius manifestae contradictionis aut falsitatis argui potest, sed eiusdem veritas in firma possessione manet; praesertim quia pro veritate tam s. Scripturae, quam totius christianae religionis aliunde plura et potentissima evidentiis credibilitatis motiva pugnant; prout theologi orthodoxi in tractatu de fide seu religione ostendere solent.

Neque curanda sunt *Voltairii* dicta demirantis, quod tam vastus terrae tractus *Adamo* excolendus traditus sit, *ut operaretur et custodiret illum* (2), intellige a feris et animalibus, ne sata et plantata conculcarent ac destruerent etc. Haec enim cultura et custodia non soli *Adamo*, sed simul toti ipsius posteritati, quam *Adam* in sese tanquam protoparens totius generis humani quodammodo continebat et repraesentabat, a Deo cit. loc. commissa est; quia, si *Adam* non peccasset, etiam eius liberi et posterii in paradiso collocati, eundem colere et custodire debuissent. Caeterum *Adam* paradisi colere et operari iussus est non ad victum

(1) Si haec clarissimi *Nonnotte* explicatio de situ paradisi alicui non ex toto placeat, poterit aliam aliorum hac de re probabilem opinionem amplecti, ex. gr. illam *Tirini*, qui commentar. in c. 2 Gen. v. 8, ita ait: « Non est impossibile, neque improbabile, quod s. *Augustinus*, et alii patres dicunt (nam est fere omnium antiquorum communis sententia) hos fluvios vere ex uno eodemque paradisi fonte scaturire primum, sed mox subterraneis cuniculis et meandris etiam longissimis abscondi, atque iis demum locis, quibus

comparandum, vel ad fatigationem, sed (ut interpretes cum s. *Chrysostomo* passim exponunt) ad honestum exercitium, recreationem, et fugam otii; quia ne in illo quidem innocentiae statu otiosi licebat homini, cum otium non diu cum innocentia consistat.

Pro coronide totius huius quaestionis de situ paradisi, illud quoque observo, nos penitus latere, qualibus mappis geographicis *Voltairius* usus sit, dum *Euphratem* et *Tigrim* in origine sua plusquam 60 milliaribus maioribus a se invicem distare adserit; cum tamen *Xenophon* oculatus testis (3), *Procopius*, *Quintus Curtius*, et maxime *relationes missionis curdistanicae* anni 681 testentur, fontes *Tigris* non multum distare a fontibus *Euphratis*.

§. II. De lapsu primorum parentum.

23. QUAERES XII. *An ea, quae Genes. c. 3, de serpente Evam tentante narrantur, fide digna sint?* R. Nullam dari rationem, hanc narrationem in dubium vocandi. Equidem increduli varia contra eandem effutiunt, et sarcastice QUAERUNT I. Cur *Eva* cum serpente sermones miscuerit? Mulieres enim aliae ne quidem aspectum serpentis ferunt. R. In statu innocentiae, cum necdum ad serpentem dictum esset: *Inimicitias ponam inter te et mulierem etc.* (4), nihil in

nunc se prouant, iursus emergere (ut de *Alphoe*, *Arthusa*, hispano *Ana*, et aliis quibusdam fluminibus constat) Deo sic occultante primam scaturiginem, ne locus paradisi hac via mortalibus innotescat.

(2) Genes. c. 2, v. 15.

(3) In initio libri 4 de expeditione *Cyri minoris Xenophon*, ita ait: *A captivis enim acceperant (milites) — se ad Piretis ipsius (qui haud dubie Tigris est) fontem, qui in Armenia est, venturos; a quo non longe Euphratis etiam fons abesset.*

(4) Genes. c. 3, v. 15, in quem locum

hac vel alia bestia fuit, quod *Evam* terreret, cum Deus iam antea *Evae* et *Adamo* dederit dominium in universa animantia (1), et ferae ante lapsum primorum parentum (divina providentia tunc arcente omnia noxia) homini minime nocivae fuerint. QUAERUNT 2. Quare *Eva* admiratione non capta sit super loquente bestia? Et cur tam innocens et sapientia praestans persona accusationibus Dei sine indignatione auscultarit? R. Et vicissim ex incredulis quaero: Vel sermo est de admiratione *indeliberata* rationem praeveniens et turbante, vel de *deliberata*. Si PRIMUM: negamus suppositum, quod in illo felici statu innocentiae aliquis motus admirationis *indeliberatus*, vel alia passio *indeliberata* seu rationem praeveniens data fuerit. Si SECUNDUM: ulterius respondeo et dico, actum admirationis *deliberatum* in *Eva* tunc dari potuisse, et probabilius datum esse, quamvis de hoc scriptura expresse nihil enuntiet. Nam cum *Eva* adverteret, animal irrationale scilicet serpentem loqui, ratiocinari, et sermones contra Deum vomere, ipsa ratio eidem facile dictabat, hanc rem esse valde miram, et quoddam ens rationale sive spiritum quendam malum serpente tanquam organo ad se seducendam uti. Non tamen ideo cohorrui *Eva*, quia (ut supra ad quaesitum primum iam indicavimus) sciebat, se in illo statu innocentiae, quamdiu in eo permaneret, a Deo diligere, paterne protegi, sibi que dominium in universa ani-

Cornel. a Lap. cum ceteris interpretibus observat, quod, quia Deus hominem ob peccatum dominio in bestias privavit, hinc serpens homini coeperit esse noxius et lethalis, et vicissim homo coeperit serpentem horrere et persequi, cum ante peccatum nec antipathia, nec horror, nec odium, nec nocendi studium fuisset inter hominem et serpentem.

mantia datum esse. Quando autem sic intellecta mala fraude daemonis non statim recessit, sed loquenti serpenti auscultare perrexit, iam coepit aliquo modo delinquere. Nam peccatum veniale, quale fuerit illa auscultatio ad verba serpentis, etiam in illo statu innocentiae locum habuit. Vide *Augustinum* l. III, de *libero arbitrio*, cap. 24, ubi subtiliter in illud inquiri, cur primiparentes, cum praestarent sapientia, nihilominus perverti se tam facile sint passi? Adde l. 14, de *Civit. Dei*, c. 11. Caeterum nemini mirum videri debet, quod de rebus ab *Adamo* et *Eva* ante lapsum gestis difficulter disseramus, quia in peccato nati, et ignorantiae, concupiscentiae, ac plurimis inordinatis ac *indeliberatis* passionum motibus obnoxii, de felici illo innocentiae statu, in quo primi parentes ante lapsum erant, difficulter elaram et distinctam ideam formamus. QUAERUNT 3. Cur Deus Genes. 3, v. 14, maledixerit serpenti, poenamque iniunxerit, si non serpens, sed diabolus, serpente tanquam organo usus, pervertit hominem? Inustum est enim, ut quis poenam luat alienae culpa. Dein cur Deus serpenti de se innocenti in poenam denuntiavit: *super pectus tuum gradieris, et terram comedes etc.*? Quasi vero serpens, nisi daemone ad decipiendum hominem serviisset, terram non comedisset, nec super pectus suum reptasset. Ita denuo cum aliis quibusdam incredulis *Voltairius* (2). R. Has incredulorum ca-

(1) Genes. c. 1, v. 28. Deus post creationem primorum parentum ad eos dixit: *Crescite et multiplicamini — et dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.*

(2) In suo lexico philos. verbo: *Genesis*.

villationes a ss. patribus (1), et interpretibus catholicis pridem fuisse solutas et explosas, iuxta quorum expositionem maledictio et dirae illae potissimum quidem in serpentem figuratum seu daemonem primam mali caussam, simul tamen etiam in serpentem verum, tanquam daemonis organum, quo hic ad seducendam Evam usus est, cum adiuncta poena merito prolatae sunt. Sed forte, inquit s. Chrysostomus (2), dixerit aliquis: Cum diabolus serpentis opera usus, malum attulit consilium, cur bestiae illi poena infligitur? En! ipsissimam incredulorum nostri temporis obiectionem. Et quid ad eam s. pater respondet? Est et hac, perguit, ineffabilis misericordiae Dei opus. Num sicut clementissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, et gladium et ense, per quae filius suus occisus, destruit et in multas partes dividit: eodem modo Deus egit. Quippe serpens quasi gladius quidam diabolicae servivit malitiae, unde et perpetua ipsi poena intentata est. Porro poena illa, super pectus tuum gradieris, et terram comedes etc., non est proprie poena, sed tantum quasi poena, aut potius probrum et dedecus. Nam ista serpenti erant naturalia iam ante lapsum primorum parentum, scilicet humi reptare (3), terram comedere etc. Quod autem alicui est naturale, non est proprie poena, nisi praecedente aliquo delicto (4), cuius serpens animal irra-

(1) Hos patres Pererius, Tirinus, alique interpretes citant comm. in Genes. c. 3, v. 14.

(2) Homil. 17 in Genesin.

(3) Necessè enim non est, ut cum Iosepho Iud. l. 4 Antiq. c. 1, dicamus, serpentem, antequam Evam tentaret, erectum incedere consuevisse; in poenam vero illius tentationis a Deo damnatum fuisse, ut reperet.

(4) Sic mors hominis, et humano cor-

tionale erat incapax. Nihilominus ista, quae serpenti ante lapsum Evae et Adami erant naturalia et minime probrosa, iam eidem ex Dei sententia destinantur in probrum et dedecus, iugemque memoriam, quod daemon per serpentem primos parentes deceperit, eosque cum suis posteris in summam miseriam praecipitaverit. Saepe enim id, quod de se naturale aut honestum est, intercedente culpa vel iudicis sententia, poena vel quasi poena et probrum fieri potest. Sic Adamo quoque et Evae post lapsum quaedam deputantur in poenam, quae etiam in statu innocentiae fuissent ipsis naturalia, e. gr. uxorem subditi marito, herbis vesci, terram ipsis germinare spinas (5), et alia. Sic ligna caedere, et aquam comportare ad usum domus Domini, opus honestum et religiosum est; sed gabaonitis (6) a Iosua ob fraudem impositum, poena ac dedecus erat. Similiter ergo proreptatio serpentis supra pectus et terrae comestio, ante peccatum serpenti ignominiae et probrum non fuerunt: post lapsum autem primorum parentum illa proreptatio et comestio serpenti prae aliis animantibus ad ignominiam, contemptum et horrorem ex Dei sententia fuere. Atque hanc sententiam Deus ferre potuit, et tulit pro summo suo iure in animalia, causa hominis creata; daturus isti documentum, quam ingens malum patrasset, cum huius mali causa irra-

pori ex elementis contrariis composito, est quasi naturalis (immortalitas enim in statu innocentiae seu ante lapsum primorum parentum erat donum speciale, et naturae humanae indebitum) sed post hominis lapsum est poena peccati.

(3) Genes. c. 3, v. 16 et 18, vide etiam haec de re Tirinum comm. in Genes. c. 3, v. 14.

(6) Iosue c. 9, v. 27.

tionale animal, quod nihil participasset de culpa, tamen poenam aut quasi poenam participaret. QUAE- RUNT 4: Unde serpens loquendi facultatem acceperit? Et quo idiomate locuta sit haec bestia? Non tam serpens, quam daemon per serpentem locutus est, huius bestiae lingua utens vel organo quodam; ferme sicut per energumenos loqui solet (1). Quod autem spectat genus sermonis, facillima responsio est. Locutus est daemon eodem idiomate, quo Eva. Id adhuc observo, quod iam olim Iulianus apostata hoc geminum dubium moverit, per ludibrium quaerens; unde serpenti facultas sermonis, et quo idiomate locuta sit bestia? Sed ideo a s. Cyrillo Alexandrino (2) graviter confutatus est.

24. QUARES XIII. An non consultius foret, ad evitandas praedictas difficultates tentationem Evae per serpentem accipere duntaxat allegorice, intelligendo per serpentem nil aliud, quam tentationem veneram, et per lapsum primorum parentum consensum in hanc tentationem? Negative. Antequam autem responsum meam probem, prius exoticae illius sententiae defensores, eorumque hac de re doctrinam breviter recenseo. Iam primo ecclesiae saeculo Philo Iud. (3)

docuit, serpentem Evae deceptorem nil aliud fuisse, quam voluptatem. Id ipsum, sed multo petulantius cum quibusdam recentioribus scriptoribus docuit pestilentissimus liber primum gallico, tum germanico idiomate vulgatus (4), qui totam humani lapsus historiam amandat ad allegorias. Nempe ex sententia huius libri titillationes carnis, ex mutuo conspectu ortae, fuerunt illa tentatio, quae nomine serpentis hic designatur: eiusque pellectu Adam et Eva induci se siverunt ad venerem, nondum ipsis concessam. Verum allegorica haec expositio nullatenus sustineri potest. 1. Quia iuxta effatum s. Scripturae concupiscentia carnis et pruritus ad sexum iungendum non praecessit (prout damnabilis ille liber docet), sed subsecuta est lapsum primorum parentum; non fuit causa, sed effectus poenae peccati, seu comesti pomi (5). Videlicet cum peccassent comedendo pomum velitum, agnoverunt se esse nudos, et rebellionem carnis experti sunt: ante peccatum vero nuditas tam parum ipsis pudori erat, quam parvulis usum rationis nondum adeptis. 2. Certe is ipse est sensus ecclesiae, omniumque interpretum, patrum atque doctorum, ut ostendere solent theolo-

(1) Varios alios modos explicandi locutionem serpentis ad Evam recenset Calmetus, comm. in Genes. c. 3, v. 1.

(2) L. 3 contra eundem Iulianum.

(3) De opificio mundi prope finem, et de Agricultura ultra medium, quo ultimo loco verba Philonis ex graeco in latinum versa ita sonant: Itaque illum mulieris insidiatorem serpentem — voluptatem esse dicimus, repentem sinuosis orbitibus — ad sola terrena pronam, foecae quaerentem in corpore, velut scrobes, hiatusque, et in quovis sensu stabulantem, hominis consiliariam, meliori contradicentem, etc.

(4) Titulus huius libri est: L'état de l'homme dans le péché originel, imprimé

1714 et 1740. Versionis autem germanicae Philosophische Untersuchung von dem Zustand des Menschen in der Erbsünde; 1746.

(5) Sufficit hic notasse verba Genes. c. 3, v. 14, Cui dixit Dominus: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti? Ecce! violatio praeccepti praecessit, et fuit causa cognitionis, qua primi parentes adverterunt suam nuditatem et confusionem ex eo, quod sentirent in se motus concupiscentiae rebelles rationi, praesertim libidinis ad invicem. Ita Cornelius a Lap. cum caeteris interpretibus in Genes. c. 3, v. 7 et 14.

gi in tractatu de peccatis, ubi agunt de concupiscentia, vel in tractatu de Deo creatore hominis, ubi de primorum parentum statu post lapsum agunt. 3. Rursum universa ecclesia constantissime per tot saecula hunc lapsum non allegorice, sed ad litteram intellexit, ac firmiter sibi persuasit, serpentem *Evae* deceptorem fuisse verum serpentem, quo daemon tanquam organo usus est: et licet illud commentum, quo quidam tentationem illam *Evae* per serpentem duntaxat allegorice explicant, nonnullis antiquis iam venerit in mentem, ex plosum tamen illud fuit semper, neque uspiam potuit fidem reperire (1). Hinc etiam ab communissima theologorum merito reicitur opinio *Caietani*, qui in cap. 3 Genes. docuit, diabolum tentasse *Evam* per solam suggestionem interiorum, sicut nos nunc tentare solet, metaphorice intelligens, quae dicuntur de serpente. Nihilominus scriptor supra memorati pestiferi libri.

OPPONIT I. Si historia lapsus primorum parentum dicto modo allegorice explicetur, evitantur multae difficultates, quibus haec historia ad litteram intellecta, obnoxia est: ergo. R. Talibus in rebus, quae fidem tangunt, non maior explicandi facilitas, sed concors interpretum, patrum, atque doctorum orthodoxorum, seu universae ecclesiae sensus et auctoritas spectanda est. Certe ecclesia Praef. in missa de Cruce supponit, lapsum primorum parentum non fuisse peccatum luxu-

(1) Utinam omnes, qui s. Scripturam nostra praecipue aetate interpretantur, iuratum suum promissum semper implere studerent, dum tanquam professores publici, aut alia dignitate vel officio publico in ecclesia Dei fulgentes, in emittenda forma professionis fidei catholicae a Tridentino praescripta, iurato sponte de-

riae, sed gulae, sive comestionem vetitam pomi de ligno seu arbore, dum ita orat: *Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Caeterum apparentes illae difficultates, de quibus obiectio loquitur, iam supra (2) a nobis solutae sunt.

OPPONIT II. Scriptor sacer turpibus in argumentis utitur semper involucris quibusdam verborum, ne pudicum lectorem offendant: ergo etiam tentationem et lapsum primorum parentum solum allegorice sub figura serpentis comesti pomi etc., describit. R. Nego, quod scriptor sacer res obscenas valde abscondat. Nam in hoc ipso libro Genesis obviis verbis narratur pecculantia *Chami*, incestus *Lothi*, iniquitas *Sodomae*, etc. Simplicitas illorum temporum, ut *Cl. Weissenbach* (3), praesentem quaestionem discutiens, recte ait, longissime aberat a nequitia aetatis nostrae, ubi quidem, quo magis profligantur mores, eo honestiora quaeruntur verba ad spurcitas tegendas: cumque homines ruant magno impetu in omne genus libidinis, ad eius solam mentionem cohorrescere videri volunt. Sed tum scilicet scapham scapham appellabant.

Sed quare (instat, et quaerit auctor illius damnabilis libri) *Adamus* et *Eva* post lapsum occultarunt sese, et consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata (4), si non peccarunt per libidinem? R. Iam

runt in haec verba: *Item s. Scripturam nunquam, nisi iuxta unanimum consensum Patrum, accipiam et interpretabor.*

(2) Num. 23, q. 12.

(3) In nova forma Theol. bibl. tom. 1, q. 12.

(4) Genes. c. 3, v. 1.

supra dixi, id non fecisse eos ob libidinem admissam, sed ob adeptam post peccatum seu comestionem pomi vetiti scientiam, sensumque concupiscentiae, sibi ante prorsus ignotae. Audiamus verba *Rupertii Tuitiensis*, qui cum caeteris patribus et interpretibus hanc rem ita (1) explicat: *aperti sunt oculi amborum* (primorum parentum) — *statim namque* (post comestionem pomi vetiti) concupiscentia rebellis utrumque peccatorem ob superbiae meritum iniussis (id est indeliberatis) motibus similiter colaphizare incoepit. Ignominiam huius passionis pudendam esse natura sponte cognoscit, sine doctore intelligit, ultronea fuga confitetur. Cur hoc? Quia rationali creaturae inesse non debuit, sed ab offenso Deo non intelligenti honorem suum imposita est, ut compararetur iumentis.

DICES: multa in s. Scripturis solum allegorice interpretatur *Origenes*: ergo etiam tentatio *Evae* per serpentem solum allegorice explicari potest. R. In primis *Origenes* nullibi serpentem *Evae* deceptorem duntaxat allegorice exponit, sed potius serpentem verum fuisse supponere videtur in (2) his verbis: *Et primo quidem in Genesi serpens Evam seduxisse describitur: de quo in ascensione Moysi (cuius libelli meminit in epistola sua apostolus Iudas) Michaël archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysi, ait diabolo, inspiratum serpentem (quid aliud est inspiratus serpens, quam verus serpens a daemone inspiratus) causam extitisse praevagationis Adae et Evae.* Atque iterum (3): *Fuit quippe Adam in paradiso, sed serpens captivitalis*

eius causa extitit, et fecit, ut — veniret in locum hunc lacrymarum. Serpens hostis est contrarius veritati. Contrarius autem non a principio creatus est, neque statim super pectus et ventrem suum ambulavit, neque fuit ab initio maledictus. Certe Origenes neque hic, neque in alio loco nomine serpentis voluptatem, aut titillationes carnis intellexit. Dein, etsi Origenes omnia pene ad allegoriam trahat, tamen ea ipsa de causa ab aliis patribus vehementer carpitur. Sic s. Basilius (4) contra Origenem et Apollinarium ait: Et quidem isti praetextu anagogici sensus, et sublimioris intelligentiae ad allegorias se transferunt — asserentes potentias quasdam spirituales expertesque corporis tropice significari per aquas: et superne quidem supra firmamentum praestabiliores mansisse, inferne vero in terrenis et materialibus locis subsedisse, quae erant maligniores. — His igitur et eius generis sentiis, ut quae somniis et anilibus fabellis conferendae veniunt, relegatis aquam nos, ut aquam, intelligamus, etc. Et rursum (5) contra eundem Origenem laudatus s. pater inquit: Novi leges allegoriarum, etsi non a me inventas, ab aliis tamen elaboratas teneo. Nam qui non acceptant sententias Scripturae communes, ii non aquam, ut aquam accipiunt, sed aliam quandam naturam inveniunt esse; et piscem ad id, quod ipsis videtur, sua permutant interpretatione. Reptilium etiam ortum, atque ferarum, ad suas sententias deflectentes interpretantur perinde, ut somniorum interpretes, qui ad id respicientes, quod sibi proposuerunt,

(1) Commentar. in Genes. l. 2, c. 10.

(2) Tom. 1, l. 3, de principiis, seu Patriarchon c. 2, initio.

(3) Ibid. homil. 1 in Ezechielem.

(4) Homil. 5 in Hexaemeron, prope finem.

(5) Homil. 9 in Hexaemer. initio.